INCIPIT LIBER OMELIARUM BEATI GREGORII PAPE
IN EZECHIEL PROPHETAM.

DILECTISSIMO FRATRI MARIANO EPISCOPO GREGORIUS
servus servorum dei. Omelias que in beato ezechiel propheta
ita ut coram populo loquebar excepte sunt, multis curis irruentibus
in abolitione reliqueram. Sed post annos VIII petentibus fratribus
notariorum schedas studui, easque favente domino transcurrens
in quantum ab angustiis legendi mihi poposcerat; sed
valde incongruum credidi, ut aquam despicabilem hauri
ret, quem constat de beatorum patrum Ambrosii atque Au
gustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assidue
bibere. Sed rursum dum cogito quod sepe inter cotidianas de
litias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, transmisi mi
nima legenti potiora, ut dum cibus grossior velut pro fastidio
sumitur, ad subtiliores epulas avidius redeat.

De omnipotentis aspiratione de ezechiele propheta locuturus,
prius debeo tempora et modos aperire prophetie, ut dum
accessus eius ostenditur, virtus melius cognoscatur.
Prophetie tempora tria sunt, scilicet preteritum, presens et futurum.
Sed sciendum est quod in duobus temporibus prophetia aethimolo
giam perdit, quia cum ideo prophetia dicta sit quod futura
predicat, quando de preterito vel presenti loquitur, rationem
sui nominis amittit, quia non prophetat quod futurum est, sed vel
ea memorat que transacta sunt, vel ea que sunt. Que tamen
tria prophetie tempora verius loquimur, si ex sacre scripture
testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: Ecce virgo

*Marginalia:* occupationum li / cuit emendavi / velut iussa dile / ctio has ad — comparatio — Tria prophetie tempora — Prophetia de futuro.